


X1905035



Qh



Qh. 28, 8.

ARGVMENTA PSALMORVM RE
PROPHEΤÆ DΑVIDIS, SPIRITU
SANCTO pleni & singulari amore DEI
Flagrantis, hexastichis exposita

Vc
3105

IN GRATIAM

INCLYTI NATALITII DIEI, ET A SVBDITIS EK

ENOT ΣΤΟΜΑΤΩ ΣΥΜΜΟ CVM DESIDERIO
simul desiderati IMPERII ELECTORATVS
SAXONICI, cuius initium, medium & finem pro ingenti
sua bonitate prosperè, feliciterq; euenire velit

DEVS OPTIMVS MAXIMVS

SANCTISSIMVS.

ILLVSTRISSIMO, PO-
TENTISSIMOQUE HEROI,
PRINCIPI AC DOMINO, DN: CHRISTIA-
NO II. DEI GRATIA DVCI SAXONIÆ,
Sacri Romani Imperij ELECTORI & Archimarschallo,
Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ & Burggrauio
Magdeburgensi, Ecclesie IESV CHRISTI Nutritio,
Patriæ patri, Iustitiae propugnatori, politiorisq; literaturæ
studiosorum Mecænati summo; Domino suo
clementissimo.

Subiectissima cum gratulatione
nuncupata à

M. Dauidē Starkio Oschaciensi SS. LL. S. & Nob. Cof.

IX. Cal. VII libris, Anno Salutis M. DC. I.

DRESDÆ.

Ex officina heredum Gimelis Bergen.

ΧΡΙΣΤΙΑΝΩΝ ΠΡΟΣΦΩΝΗ

ΠΡΟΣΦΩΝΗ

ΣΙΣ.

ΧΡΙΣΤΙΑΝ, νῦν ἄγιοι σὸς ἡμαρτίᾳ ἐφκινε, ΜΕΓΙΣΤΕ,
Οὐρανόθεμ μεγάλων χαῖρε διόπτη χάραμ.
Ἄντεμ αὖ λάμπωμ ἐπίδηνώδες θόρε κύκλῳ
Φοῖσθ, ιδεὶ ταρά τότε ἀξονῷ ἡμαρτίᾳ.
Εθλάχ γαρ ὁ ΧΡΙΣΤΟΣ τότῳ σοὶ δῶκε μέγισα,
Μητρός ἀπό σμικρός τίς γεγωνὰς πε ταῖς.
Ιδατι νιψάμενος βαπτίζματος, ἀϊδίοιο
Ολεα τα, τέκτορ, κληρονόμησας ἔτι.
Εματι ιδεὶ κείνῳ μουσῶμ ἐλικωνιαδάρω
Βῆστρο, ὅφρα φίλης τάτριδθε ἔρμα ἔκρι.
Χαῖρε δυρτερός οὐρανῷ ιδεὶ ταῦτα φυλάσσεο τάντα
Χαῖρεν, οὐράνιοι δόξασαι, ἐθλὲ, ΘΕΩΝ.
Χαῖρε μέντοι φάντα μέντοι ταῖρωμ χαῖρε ἀπάντωμ,
Επλεο, ὃς πλέψε φίλατα ἔργα ΘΕΩ.
Μνημόσωμοι ταρτεῖ μεν φιλής τόδι ἐνέγκατομ ὄσοιρ
Χαῖροντοιρ. Τεύξω ἄλλοτε σεμνότεροι.
ΧΡΙΣΤΟΣ ἐμ νψίσοιε ἐρωμ, σοὶ ταλείονα, τέκτορ,
Εθλάχ δότω, ρήσαι νέσορῷ ἀντὸς ἔτη.
ΧΡΙΣΤΙΑΝ νῦν βασιλεὺς, τολλῶμ ἀνταξίθε ἄλλωρ,
Εἰρήνης πε φύλαξ, ἀδεὶ δικαιοσώνε.
Δόξα ΘΕΟΥ μελέτω θυντῶμ φρεσί αἵρετοντο,
Χρή δημᾶς αὐτὸς τοικίλα ἔργα σκοπέμ.
Καὶ τάντας τοτὲ κληρονομεῖτο βίτοιο,
Πράτηο ταυμαδέωμ οὐ τάλετο ἀσρα ΘΕΟΣ.



Hoc proponit homo sibi, possit ut esse beatus,
Omnis ad hanc metam tendit agitq; caro.
Disce timere D E V M , Leges & dogmata sacra,
Illiūs ut sancta credulitate probes.
Viue D E O , sceleratorum consortia vita,
Hæc faciens omni ex parte beatus eris.

II.

Gignitur ætherei de patris imagine Natus,
Debeat ut mundi totius esse salus,
Ac iram placare patris, dum flagra, crucemq;
Sustinet, & soluit debita nostra nece.
Hinc victor domita rediuius morte triumphat,
Et victrice gerit ferrea sceptræ manu.

III.

Vt miseris addat mala plura calumnia, pressos
Ridet, & auxilium clamat abesse D E I.
Sed D E V S afflito virtus, spes, gloria, robur
Permanet, vt rabies nulla nocere queat.
Protegit in somno, vigilantes seruat ab hoste,
Et populum nescit deseruisse suum.

IV.

Est dolor immensus rabida conuitia lingue,
Et fures famæ, Iustitiæ pati.
Atq; videre malos fatis melioribus vti,
Ista bonis bilem sæpe ciere solent.
Sed D E V S exaudit, consolaturq; rogatus,
Fama, quies & opes hoc duce fixa manent.

V.

Ne timeas hostem, sed cum furit impius, ora,
Vim D E V S euertit, sed pia vota iuuat.
Sanguine gaudentes fuso necat, odit iniquos,
Falsiloquam linguam conterit atq; dolos.
Sed qui confidunt D O M I N O , rectumq; sequuntur,
Syderei capient regna beata poli.

A ij

Si

Si peccauisti, faciant peccata dolorem,

Et madeant gutta s^æpè cadente genæ.

Tu tamen haud diffide D E O : peccata remittit,

Cuius inexhausto gratia fonte fluit.

Hoc duce saluus eris, nec ab hoste timebis iniquo,

Si D E V S est præsens, aufugit omne malum.

Cum sis innocuus, tandem bona caussa triumphat,

Iustus ab iniusto liberat hoste D E V S.

Nam D E V S est iustus Iudex, pœnæq; minatur,

Irataq; parat tela cruenta manu.

Deiçit in foueam, qui foderat hanc, & in eius

Vertice, nequitiam qui facit, illa manet.

Omnis terra D E I canat admirabile nomen,

Grates qui sugunt vbera matris agant.

Dirigit astra D E V S, terram regit, & mare firmat,

Innumeris homines ornat alitq; modis.

Subdit ei campi pecudes, cæliq; volucres,

Syluarumq; feras, squamigerumq; genus.

Lætificus canitur post parta trophya triumphus,

Vni debetur gloria tanta D E O.

Territat Hic hostes, deuincit, mittit ad orcum,

Sed iusto misericordia tempore præstat opem.

Liberat oppressos, non obliuiscitur horam,

Quamuis affligant lubrica fata diu.

Vis vel aperta pñs nocet & manifesta phrenesit,

Aut dolus in tenebris, insidiæq; latent.

Impius, elatus, blasphemus, auarus, iniquus,

Talibus oppugnat si tua castra modis.

Ora, fide D E O, Spartam quam nactus es orna,

Nemo te poterit vincere, tutus eris.

xii.

Nil furor aut rabies aut vis iniusta nocebit,
Si tua spes DEVS est, si tua caussa bona est.
Iustus ab igniuomis homines DEVS aspicit astris,
Et sacra iustitiae qui coluere probat.
Opprimit iniustos per fulgura, sulphur & ignem,
Horrisonumq; feris per mare mergit aquis.

xii.

Omnibus aula malis scatet, impietatis alumnos
Quæ fouet, autori perniciosa suo.
Viles atq; leues & nil rationis habentes
Principibus videas sæpè placere viris.
Nam similis gaudet simili, ius impius odit,
Et cocus ad Domini se regit arte gulam.

xiii.

Ne credas dormire DEV M, quia tardus ad iram,
Compensat pœnat nam grauitate moras.
Exultare solent scelerati clade piorum,
Fulmina nec cæli nec Phlegetonta timent.
Pro libitu pergunt rectisq; pijsq; nocere,
Tandem sunt Stygij præda cruenta ducis.

xiv.

Ante DEV M sumus iniusti; Peccauimus omnes
Omnis qui careat labe nec vñus erit.
Ergo dole, confide DE O, resipisce, precessq;
Funde, sed & verus sit pietatis amor.
Nam DEVS est scelerum vindex & punit iniquos,
Et gratis gratos iustificare solet.

xv.

Quis colet Empyrei rutilantia culmina cæli?
Qui peccata fugit, iustitiamq; colit.
Qui non falsiloqua fecit conuitia lingua,
Et qui peruersos odit, amatq; pios.
Qui non usurpis, nec munere viuit & astu,
Sed stat promissis, fraude, dolosq; carens.

A iij

Moss

xvi.

Mosaicō ritu placabat crima plebis
 Aut bouis aut hirci victima cæsa D E V M :
 Desijt hic ritus, successit victima C H R I S T I ,
 Crimina qui roseo sanguine nostra lauat.
 Flagra, crucemq; tulit, iam victa morte triumphat,
 Tartara non illi, non fera fata nocent.

xvii.

Tandem iustitiam D E V S erigit, illa perire
 Nescit, in æternum ius, pietasq; manent.
 Liberat affictos & apertis protegit alis,
 Frangit & hostilis tela cruenta manus.
 Non qui diuitijs & multa prole superbit,
 Qui D O M I N I sequitur iussa, beatus erit.

xviii.

Est rupes invicta D E V S, cornuq; salutis .
 Illum quisquis amat, saluus ab hoste manet.
 Nec cruce succumbit pressus, quasi palma resurget,
 Proderit hoc, alias quod nocuisse solet.
 D ante D E O , qui te conantur vincere, vinces,
 Et venient domui læta trophæa tuæ.

xix.

Sol & luna D E I laudes & sidera narrant,
 Et nox instruitur nocte, diesq; die.
 Vox Euangelij miracula sacra recenset,
 Noscat ut æternum quælibet ora D E V M .
 Lex iucunda D E I est, rutilanti purior auro,
 Dulcior Ambrosia, clarior igne Poli.

xx.

Pro placidis Zephyris Boreas si spirat & Eurus,
 Et quatit æquoreas turbo furenter aquas.
 Rector erit nauis dubiæ D E V S almus & viuis,
 Ne pereat rabido mersa carinna mari.
 Hoc duce post hostes sequitur victoria victos,
 Rebus in aduersis hoc duce saluus eris,

Rex

xxi.

Rex pius in DOMINI qui cuncta timore gubernat,
Regia seruabit sceptra fauente DEO.
Impius infernum recta descendet in imum,
Omnibus & fiet fabula vera pījs.
Ius & dexteritas faciunt durabile regnum,
Transfert iniustus propria sceptra furor.

xxii.

Carmine Iessæ secreto stirpis alumnus
CHRISTI verba, preces, fata futura canit.
Iam sol orbe suo cum mille reuoluerat annos,
Hæc euenerunt & manifesta patent.
Biblia non fallunt diuina, sed omnia constant,
Nexibus ut constat firma catena suis.

xxiii.

Quanta DEI bonitas, quæ sit clementia, nomen
Pastoris cum re conueniente monet,
Ne tibi quid desit, florent viridantia prata,
Parturit omnis humus, vernal & omnis ager.
Corporis hæc bona sunt, animam quoq; pascit, alitq;
Vox Euangeli, iustificante fide.

xxiv.

Totius æterni patris est hæc machina mundi,
Immotus medijs innatat orbis aquis.
ADOMINO benedicitur virtutis amator,
Et quem nulla facit culpa, dolusq; reum.
Laudibus & votis portas aperite decoras,
Rex exercituum talia regna petit.

xxv.

Ne confundaris, rabidoue premaris ab hoste,
Ad Verum mentem perge leuare DEVIM.
Sisq; memor, precibus placari Numinis iram,
Vt delictorum non memor esse velit.
Est bonus, erectus, Dominus, miserator, ad iram
Tardus, & in quoquis vera dolere salus.

Conscia



xxvi.

Conscia mens recti, dulcis nutricula vita,
Innocuas hominum firmat habere manus.
Vis iniusta diu non raro legibus obstat,
Quicq; nocens non est, cogitur esse nocens.
Sed bona causa tamen iusto sub iudice vincet,
Iudicij iustis dirigit acta D E V S.

xxvii.

Cur adeo timeas? Quanuis sit dura tyrannis,
Luceat in D O M I N O cum tibi certa salus.
Si surgunt testes falsi, mendacia dicunt:
Ne noceant, verax conteret illa D E V S,
Perfer & obdura nec te conuitia frangant,
Expectans D O M I N V M sub cruce victor eris.

xxviii.

Qui paeem simulant & habent in pectore bella,
Qui fel corde suo, sed mel in ore gerunt:
Hos fuge, ne comiteris eos ad tartara Ditis,
Allatrat Stygius talia monstra canis.
Nec D E V S ædificat, sed in ira destruit illos,
Et capient meritis præmia digna suis.

xxix.

In virtute sui verbi sua robora monstrat,
Qui verbo terras condidit, astra, fretum.
Vox D O M I N I sylvas & mœnia diruit alta,
Et velut ignis edax regna superba terit.
Conseruat, defendit, alit, benedicit & ornat,
Et iubet in placida viuere pace pios.

xxx.

Conseruat rectos, ad tartara mittit iniquos,
Cui canimus grata, carmina, voce, D E V S.
Nam miseretur & ardentí placatur in ira,
Vesperè tempestas, mane serena dies.
Conscindit factos & pallia detrahit atra,
Nostraq; latitiz corpora veste tegit.

In



In D O M I N O sperans non confundetur in ieiunio,

In manibus sortes dirigit Ille suis.

Hostiles furias & cuncta pericula pellit,

Ac nostras animas in sua regna trahit,

Impius at turpi faciens conuictia lingua,

In Phlegetontem præcipitatur aquas.

Crimine nemo caret: Via iam quærenda salutis,

Non opus est nostrum, solius ergo D E I.

Imputat Ille fidem, sordes non imputat villas,

Si placeas, tunc quæ displicuere, tegit.

Ergo fide placeas, nec sis quasi mulus, equusq;

Non magis impietas quam pia vita placet.

Condita sunt verbo D O M I N I , flatuq; corusca

Sidera, terra virens & via vasta maris.

Corda sigillatim creat, intus & in cute nouit,

Nemo se speret fallere posse D E V M.

Consilijs obstat vanis, facit irrita vota,

Vt per eum vincant saeva pericla pñj.

Certa tuæ D O M I N I timor esto regula vitæ,

Et bene sic viues & cumulabis opes.

Quæ mala sunt fugias, bona quæ sunt sola sequaris,

Displacet æterno lingua dolosa D E O.

Vt nihil incaute dicas, compesce labellum,

Auxiliante D E O nulla pericla nocent.

Si te persequitur, perturbat & opprimit hostis,

Tunc vtrice iuuat voce rogare D E V M.

Vt confundat eum, stipulas velut ignis adurit,

Vt feriat varijs aliger ordo malis.

Et misere pereat, toti sit fabula mundo,

Nulla salus restet, gloria, fama, decus.

xxxvi.

Impius astriferi contemnit in æthere Numen,

Non vim cælicolum, non Acheronta timet.

In leuitate sua gaudet, vitaq; scelestæ

Exultat, rectum dedecus esse putat.

Polluit illieitis obscœna cubilia stupris,

Sed referunt pœnas tristia fata graues.

xxxvii.

Regula sit vitæ: Prius ora, deinde labora,

Fide DEO, cursum diriget ille tuum.

Innocuæ famam vitæ defende, peribit

Impius, at iusti gloria vera manet.

Bella parat, spiratq; minas & dentibus hostis

Frendet, at illius conterit arma DEV S.

xxxviii.

Ira DEI, peccatorum mens mole grauata,

Et furor hostilis tristia corda parant.

Tunc animi robur, tunc vires corporis absunt,

Nec tenebrosa suum lumina lumen habent.

Sed tamen ad DOMINVM qui toto pectore clamat,

Inueniet certam, quam sitiebat, opem.

xxxix.

Humanæ vitæ metas ὑγροὶ ἔμφυτοι indit,

Hoc instar lychni deficiente perit.

Naturæ hic cursus, sed per miracula, vitæ

Apponit DOMINI tempora longa timor.

Impietas breuiora facit, sic vincere fata

Vota valent, vt vult dirigit illa DEV S.

xl.

Implet Saluator quæ prædixere Prophetæ,

Et quia prisca DEO non holocausta placente.

Promptus adest charo noua fiat vt hostia patri,

Et pœnas propter crimina nostra luat.

Illius exemplo qui iusta pericula spernit,

Vt DOMINO placeat, vincere cuncta potest.

Qui

XL.

Qui super afflictum dolet & miseretur egeni,
Viuens & moriens præmia larga feret.
Pauperibus benefac, sed inquis hostibus obsta,
Dat DEVS vt possis reddere sæpè vicem.
Cum cernes inimicorum crudelia fata,
Tunc DOMINO caussam nosce placere tuam.

XLII.

Vt sitiens gelidas ceruus festinat ad vndas:
Sic fugiunt ad opem, pectora mœsta, DEI.
Perturbat mentem, lacrumasq; calumnia gignit,
Vt latrocinium perforat ossa pijs.
In DOMINVM sperare iuuat, fons ille salutis
Turbatos reficit, corda quieta facit.

XLIII.

Iustus agit iustum caussam, iustosq; tuetur,
Iustitiam nescit deseruisse DEVS.
Viribus iniustis, iniustiæq; resistit,
Vt bona caussa manet: sic mala caussa perit.
Non patitur tenebris claram confundere lucem,
Non patitur falsis cedere vera DEVS.

XLIV.

Biblia sacra docent & secula prisca loquuntur,
Hostibus & pugnis non caruisse pijs.
Sæpè DEVS conniuet enim grassentur vt hostes,
Sæpè malis melius quam solet esse bonis;
Sed DEVS ostendit tandem mirabile robur,
Omnis vt agnoscat Numen adesse caro.

XLV.

Messiae canitur regnum, victoria, cultus,
Totius mundi vera futura salus.
Qui veteres proprio ritus abolere cruore
Vellet, & esse sui victima cara patris,
Excipiat talem votis Ecclesia Sponsum,
Subditus huic Regi vesper & ortus erit.

Bij

Spes

XLVI.

Sp̄s mea fōl̄ DĒV̄S, mūnitio fortis in omni.
Parte mali, velis aura secunda meis.
Cur hostes timeam? Si montib⁹ addere montes,
Si mare si terras posse mouere putent.
Confringet gladios illorum, conteret arcus,
Robur & omne decus, quid nisi puluis erunt?

XLVII.

Tanta DĒI benefacta patris, miracula tanta,
Ut non vlla queat lingua referre satis.
Perpetuis ideo celebremus laudibus illa,
Dicamus grates vespere, nocte, die.
Nostra salus DĒV̄S est, nos in sua regna vocavit.
Conseruat, nutrit, protegit, ornat, alit.

XLVIII.

Nomen & alma DĒI virtus est nota per orbem,
Finibus Eois Occiduisq; plagiis.
Sic diuina patet per totum gloria mundum,
Laudibus & replet Solis vtramq; domum.
Iustitia quia Cunctipotens est dextera plena,
Iustitiam supera mittit ab arce DĒV̄S.

XLIX.

Hoc ænigma tuam capiat mirabile mentem,
Quod florere malos cernis, egere pios.
Sicut oves Acherontæis pascentur in agris,
Plutonisq; colent tristia regna mali.
Sed dominabuntur iusti: Palmamq; tenebunt,
Et patris æterni regna beata colent.

L.

In vero cultu veræ placet hostia laudis.
Non holocausta magis quam pia vota placent.
Vult DĒV̄S agnisci, vult tota mente vocari,
Et vult afflictis ferre vocatus opem.
Redde DĒO laudes & toto pectore grates,
Sunt humiles DŌMINO victima grata preces.

Si

Si clamas miserere mei, peccata remitte

O DEVS, irati tollitur ita DEI.

Si tibi vera fides, si te peccasse fateris,

Si cupias mundo corde placere DEO.

Tunc nouus vt fias, vt labe laueris ab omni,

Sanctus ab ætherea Spiritus arce venit.

LII.

Impius, inq; sua gaudens leuitate tyrannus,

Numina non curat posse iuuare pios.

Sed ferus esse, fera conuitia dicere lingua,

Ac odiisse bonum pergit, amare malum.

Sed DEVS extirpat monstrum radicitus illud,

Omnibus vt pateat vindicis ira DEI.

LIII.

Inspiens simulat quod sit DEVS, ore fatetur,

Corde negat, probat hoc impietate sua.

Esse DEV M sapiens & se peccasse fatetur,

Ante DEV M pietas nos iubet esse reos.

Nostra salus nouisse DEV M, veniamq; precari,

Gratis iustificat gratia sola DEI.

LIII.

In virtute DEI nostros deuincimus hostes,

Durat in ipsius nomine nostra salus.

Et mala reddit eis, iusta disperdit in ira

Omnes qui nobis multa pericla parant.

Liberat vt possimus eos contemnere tutò,

Inuictum DOMINI dextera robur habet.

LV.

Vespere, mane, die, lacrumas effunde, precesq;

Si vis hostilis, si tibi lingua nocet.

Commendaq; DEO caussam, te nutriet ipse,

Non semper iustis luctus acerbus erit.

Impius ante diem pergit moribundus in orcum,

Flammiuomo viuum Cerberus ore vorat,

B iii

Omnia

LVI.

Omnia peruerit peruersa calumnia verba,
Hanc D E V S euertit rursus & ipsa perit.
Sed D O M I N I verbum nullo delebitur æuo,
Qui laudat D O M I N I verba beatus erit,
Hostis vt eripiat vitam, conculcat & odit,
Sed tamen auertit cuncta pericla D E V S.

L VII.

Vmbras diuinæ præbent sperantibus alæ,
Si sors immineat turbida tutus eris.
E cœlo venit auxilium, cornuq; salutis,
Incidet in foueam qui tibi fodit eam.
Magna D E I bonitas terras & sidera replet,
Agnoscit verum machina tanta D E V M.

L VIII.

Non satis est taceat quod Consiliarius aulæ,
Si videat D O M I N V M turpia facta sequi.
Iustitiam non velle loqui, non vera fateri,
Justa D E I pœna puniet ira graui.
Sed quia Gnatho suum sequitur plerunq; Thrasonem,
Seruus cum D O M I N O tartara sæpè petunt.

L IX.

Impius infantes sine cauſsa tradere morti
Gaudet & impuras cæde lauare manus,
Talis in interitum trahitur per fata tyrannus,
Proprius vt pariat funera mœsta cruor.
Oninis vt agnoscat caro, summum, totius orbis
Immensos fines qui regit, esse D E V M.

L X.

Sæpius ira D E I cessat, miseratio nunquam,
Dura dat & rursus vincere dura iuuat.
Vana salus hominis, sed cornu forte salutis
Est D E V S & miris adiuuat Ille modis,
Testis erit quicunq; malis vexatus in Illum
Sperat, virtutes, quem iuuat Ille, facit.

V*

LXI.

Vt tandem possis inimicos vincere, perge
 Assiduis precibus sollicitare DEV M.
 Audiet Ille preces & erit fortissima turris,
 Ducet & in Petrac te loca tuta suæ.
 Alarum rutilante suo velabit amictu,
 Hæredem patrij constituetq poli.

LXII.

Insidias, fraudes, mendacia, iurgia, lites,
 Si leuis est princeps, mobilis aula fouet.
 Fide, sileq D E O, Spes & patientia vincit,
 Vani magnates & leue pondus habent.
 Sed DEVS est verax, vindex & summa potestas,
 Omnibus Hic reddet quas meruere vices.

LXIII.

Tormenti genus est magnum, vereq dolendum,
 Carceribus clausis æde carere sacra.
 Nocte, dieq tuas celebrant in carcere laudes,
 Qui tua non possunt visere tempa DEVS.
 Luceat in tenebris tua lux & vincula rumpat,
 Ut tibi perpetua, carmina, laude, canant.

LXIV.

Verba venenatis æquantur amara sagittis,
 Linguaq plus noxæ quam ferus ensis habet.
 Destruit illa suos autores, & DEVS ipsos
 Puniet, vt cunctis nota sit ira DEI.
 In DOMINO sperans iustus lætabitur omnis,
 Et laudabuntur, qui sacra iura colunt.

LXV.

Omnis ad æternum caro confluit, omnis adorat,
 Terra DEV M patula suscipit aure preces.
 Dat bona cuncta DEVS, compescit in æquore fluctus,
 Aurea tranquilla tempora pace parat.
 Dat terræ pluuias, annum bonitate coronat,
 Omnia quæ spirant, seruat, alitq DEVS,

Perpet-



LXVI.

Perpetuas laudes miracula tanta requirunt,
 Quæ facit Omnipotens hic & ubique D E V S.
 Stat mare ceu rupes, populus pertransiit illud,
 In terra Canaan omnia regna cadunt.
 Quos amat, afflit, sed rursus liberat illos,
 Vera fides quicquid poscit, habere potest.

LXVII.

Oremus, D O M I N I veniat benedictio nobis,
 Rectas illa vias edocet, illa beat.
 Illa regit terras & fructibus omnia replete,
 Largitur veras, seruat & auget opes.
 Hanc veræ fidei sequitur confessio vera,
 Gaudet & exultat, quicquid in orbe viget.

LXVIII.

Omnipotens D E V S est viduae pater atque pupilli,
 Captiuisque suo tempore præstat opem.
 Educens ex morte D E V S, plenusque salutis,
 Omne quod imponit ferre iuuabit onus.
 Vox Euangeli per totum spargitur orbem,
 Quod C H R I S T V S mortem vicit & astratenece.

LXIX.

In cruce pendentis monet hæc oratio C H R I S T I,
 Quantum displiceant crimina nostra D E O.
 Arbor amara crucis meliores nectare fructus
 Profert, iratus desinit esse D E V S.
 Afflictis requies, ætas redit aurea mundo,
 Astripotens soluit vincula nostra D E V S.

LXX.

Auxiliare D E V S, clamat, quem suppressit hostis,
 Festina, fer opem, perge iuuare precor.
 Turpiter intereant, fiant ludibria mundo,
 Et confundantur, qui mihi damna parant.
 Lædere me miserum rabidus non desinit hostis,
 Quid cessas; hostem perdere perge D E V S.

In

LXXI.

In DOMINVM sperare iuuat, cui grata iuuentus.
Imberbis, nec non cana senecta placet.
Dat vires animis & nescia pectora frangi,
Addit & electis robora firma suis.
Monstrans afflictis horrenda pericula vita,
Eripit & longè dat meliora D E V S.

LXXII.

Cum CHRIS TO veniunt Romanisceptra Monarchæ.
Donec erit CHRISTVS, talia sceptra manent.
Nec prius intereant quām venerit Antichristus,
Tunc quoq; Romanum desinet Imperium.
Sic placet Historicis, sic Pauli verba videntur
Velle, DEO soli nota suprema dies.

LXXIII.

Errat & ex oculis fortuna caduca laborat,
Est benē sæpè malis, est male sæpè bonis.
Sed DEV S haud errat, fortunæ lubrica vertit,
Ut recti maneant, intereantq; mali.
Nil aliud querit mens ægra per astra per orbem,
Quam quod Tu præsens sis D E V S atq; iuves.

LXXIV.

Eternum diuina D E V M miracula monstrant,
E terris fontes, montibus vnda fluit.
Siccantur fluuij, noctem de montibus umbras
Adducunt, rutilum lumina clara diem.
Omnigenis æstas immensum fructibus orbem
Replet, sed glacie cum niue tristis hyems.

LXXV.

Est inimica DEO iactantia vana superbi,
Quod iacet exaltat, deīcit alta D E V S.
Omnes coguntur calicem gustare doloris,
Sed iubet vt feces impia turba bibat.
Cornua iustorum quasi sint adamantina durant,
Ast iniustorum cornua fracta iacent.

C

Omn.



LXXVI.

Omnibus esse D E V M faciunt miracula notum
 Maxim'a, qui fieri somnia, regna iubet.
 Currus, equusq; iacet, cum diros increpat hostes,
 Cum venit vt iudex, terra, polusq; tremit.
 Siq; furant homines, pollet virtute recenti,
 Noscat vt invictum quælibet ora D E V M.

LXXVII.

Lædere cum pergunt telis crudelibus hostes,
 Anxia mens hominum nocte, dieq; dolet.
 Perturbata D E V M vocat, ac spe freta quiescit,
 Quod manet æterni gratia firma patris,
 Cogitat historias & prisci temporis acta,
 Quæ tradunt alnum qui iuuet esse D E V M.

LXXVIII.

Exequitur grassante D E I malus angelus ira
 Plagas, quæ Phariæ commeruere plague.
 Cum nihil faceret miracula cuncta tyrannus,
 Interit in medio currus equusq; mari.
 Sed ire iubet suos Erythræa per æquora saluos,
 Ac in deserto seruat, alitq; D E V S.

LXXIX.

Oppressos gaudent affligere posse tyranni,
 Et quacunq; valent arte nocere nocent.
 Retribuetur eis afflictio septupla, plaga
 Maiores alijs quam peperere, ferent.
 Ut trifido D O M I N I sit nota potentia mundo,
 Quod D E V S impunes non sinit esse malos.

LXXX.

Vinea per Vates Ecclesia sancta vocatur,
 Palmis tuto vitis in orbe viret,
 Fiat vt ex luda genitis & gentibus una,
 Illius & C H R I S T V M vult D E V S esse caput.
 Qui plantauit eam, totum feruabit in æuum,
 Vertere Setigeros nec patietur apros.

Vnde

LXXXII.

Vnde sit infelix & ineluctabile fatum,
Si tua cognoscet propria facta scies.
Monstrat iter rectum D E V S , ac si deseris illud,
Errantem dubia te sinit ire via.
Peccas , puniris : Sed ferreus incipis esse,
Qualis vita tibi , talia fata feres.

LXXXII.

Increpat iniustos iusto D E V S ore tyrannos ,
Dixerat esse D E O S , sed stygis atra petent.
Quod non iure regant , sed inquis viribus orbem ,
Quod scelerorum munia suscipiant.
Quod sint ignari legum , rationis egentes ,
Quod plenum tenebris ingrediantur iter.

LXXXIII.

Qui nos oppugnant propter mysteria sacra ,
Hostes æterni credimus esse D E I .
Perdet eos paleas ut ventus iactat inanes ,
Montibus & sylvis ut nocet ignis edax .
Prodet se facies ignominiosa rubore ,
Dedecus illorum secula nulla tegent.

LXXXIII.

Atria sancta D E I faciunt cultusq; beatum ,
Et D O M I N I vires & pietatis iter.
Doctor in horrifica lacrumarum valle laborans ,
Vt fontem fodiat , præmia larga feret .
Eligit abiectus magis esse , D E O q; placere ,
Quam peruersorum picta theatra sequi .

LXXXV.

Desinit irasci D E V S , & peccata remittit ,
Mitigat ærumnas , soluere vincla iubet .
Hæc , quisquis pateris , meditare , D E V M q; precare ,
Vt saluet , non est abbreviata manus .
Dante D E O , pax lata viget , Respub'ica floret ,
Reddit humus fructus , & sua iura forum ,

C. ij

Excl.



LXXXVI

Ecxitat affectus ardens oratio nostros,
Et benefacta D E I commemorare docet.
Promptus vt ignoscat D E V S est, sed tardus ad iram,
Et nostras auida percipit autē preces.
Vt Pharias fecit miracula multa per oras:
Sic & nobiscum signa beata facit.

LXXXVII.

Sancta Salem, vicina Sion, celebrata suēre
Grata Panomphæo templa decora patri.
Illa per immensum voluit diffundere mundum,
Vnus Christicoli fiat ouile gregis.
Illa Raab, Babylonq; colat, collecta sub vnum
In C H R I S T O coēat machina tota caput.

LXXXVIII.

Si fortuna furit, varijsq; doloribus instat,
Et feriunt nostrum mille pericla caput:
Iudicium D O M I N I , iustum cognoscimus iram,
Et velut inferni turba relicta sumus.
**S
Et iuuat has plagas enumerare D E O .**

LXXXIX.

Nunquam verba D E I , quæ protulit, irrita fiunt,
Et quæ promisit, non reuocare solet.
Iesso natus de stemmate prodijt heros,
Promissus veri filius ille D E I .
Sunt impleta sacri quæ prædixere prophetæ,
Res est promissis credere tuta D E I .

x.C.

Viuus in æternum D E V S est, sed tempore paruo
Viuit homo, rari lustra bis octo vident.
Nam peccata D E V S punit, fatisq; coërcet
Et quæ clam fiunt, vt manifesta videt.
Disce dies numerare tuos, resipisce, precare,
Hic & in ætherea sede beatus eris,

Pebis

xCI.

Pestis nulla potest & nulla nocere pericla,
Qui fidunt D O M I N O , quos tegit umbra D E L.

Sed iubet aligeras hos custodire cateruas,

In media præsens vult D E V S esse cruce.

Liberat orantes & protegit, auget eorum

Annos, & vera prosperitate beat.

xCII.

Vis arcana D E I facit, & diuina potestas,

Vt mirabiliter quæ valuere, ruant.

Quod iacet, erigitur, valido suppressus ab hoste

Vincit, vt optarat voluere fata videt.

Iustus in effœta floret quasi palma senecta,

Recta tuetur enim, punit iniqua D E V S.

xCIII.

Robore mirifico claret, formaq; corusca,

Qui mare, qui terras, qui regit astra, D E V S.

Vndarum sonitus diuina potentia vincit,

In toto nihil est fortius orbe D E O.

Omnia verba D E I quasi fortia mœnia durant,

Donec erit exlum, dogmata sacra manent.

xCIV.

Non priuata licet vindicta, sed ultio fortis,

Qui punire potest, est referenda D E O.

Si tibi vis fiat, D E V S hanc vt vindicet ora,

Et liciti prudens utere iure fori.

Nam rectum, iustumq; manet, si machina mundi

Dispereat, leges & pius omnis amat.

xCV.

Verba D E I veram promittunt vera salutem,

Qui recipit vero corde beatus erit.

Illa sed auersa qui despicit aure peribit,

Interitus cauſtas imputet ille sibi.

In Meriba, Massaq; D E O qui credere nollent,

Promissa terra non potuere frui.

C iii

Omnis

xCVI.

Omnis lingua D E I miracula laudibus ornet,

Ornatū fiant vota , precesq; sacro.

Qui terras in aquis formauit , in aēre nubes

In mirabilibus noscitur esse D E V S.

Prospicit ut certis seruetur legibus orbis ,

Et iubet in iusto iura manere foro.

xCVII.

Quod D O M I N V S regnat , totus lætabitur orbis,

Hic est iudicij , iustitiaeq; thronus.

Commouet igne suos inimicos , fulgure terram ,

Montes , vt mollis cera , calore fluunt.

Custoditq; suos ne suppressat impius hostis ,

Lucem dat iustis , lætitiamq; pijs.

xCVIII.

Concelebrent D O M I N V M cytharæ , cuba , buccina ,

Erucent laudes terra polusq; D E I .

(psalmi ,

Excelsti gentes oculis videre salutem ,

Nascitur in patulo filius orbe D E I .

Prisca D E I natum venturum credidit ætas ,

Exhibitum verè secula nostra sciunt.

xCIX.

Non quales homines quid agant D E V S aspicit æquus ,

Præmia vel pœnas vt meruere parat.

Mosen ac Aaron iuuat in pietate manentes ,

Tristia peccantes fata subire iubet.

Audiuit iusti Samuelis vota , precesq;

Sed nati pœnas impietatis habent.

C.

Non D E V S à nobis , ab eo nos ducimus ortum ,

Nos creat & veluti gramine pascit oues ,

Omnia propitius nobis peccata remittit ,

Æterni patris gratia fine caret.

Mitigat & pœnas & iustum temperat iram ,

Liberat ex vincis , dicit ad astra D E V S .

Judi-



C.I.

Judicium, pietas, non ira, calumnia, fraudes,
Aulam, psalmographo rege monente, decent.

Sit princeps prudens, pius, auersetur iniquos,
Mendaces, & qui corda superba gerunt.

Ornatos habeat pietate, fideq; ministros,
Sic præfixa bonis gloria, pena malis.

C.II.

Abbreuiat vitam lacrumas parit atq; dolores,
Carceris iniusti vincula dura pati.

Sed D.E V S in terram de cœlo respicit alto,
Liberat, exaudit, protegit, astat, alit.

Cælos mutabit, sed non mutabitur ipse,
Ipse sed est hodie qui fuit ante D E V S.

C.III.

Vt benedicamus D O M I N O , benefacta requirunt,
Dat veniam, redimit, liberat, exhilarat.

Amouet errores, vt distat vesper ab ortu,
Et nos vt natos tractat, amatq; suos.

Flosculus vt radijs effloret solis amœnus;
Sic hominis fato vita trahente perit.

C.IV.

Aspice vel terras, vel aquas, vel sidera cœli,
Testantur verum cuncta creata D E V M .

Talis & artificis lucet prudentia, talis
Qualem vox hominis nulla referre potest,

In bonitate sua, quæ condidit, omnia seruat,
Si suus aufertur spiritus illa ruunt.

C.V.

Vnda cruore fluit, ranis sunt omnia plena,
Sextipedes noxam pestis & vlcus habent.

Depopulantur agros vermes, furit aucta cicada,
Mixtum fulminibus fulgur adurit agros.

Post tenebras densas primogenitura necatur,
Ebræi & Pharias deseruere plagas.

Offens.



CVI.

Offendunt peccata D E V M , pœnasq; merentur ,
 Ac impune D E V S non sinit esse malum ,
 Nemo reus sceleris pœnas effugerit vñquam ,
 Serius aut cito debita pœna venit .
 Sed floret pietas & habet sua præmia virtus ,
 Hac iustum Pineham prædicat esse D E V S .

CVII.

Vt fluctus nauem : Sic mira pericula vitam
 Impellunt , & sunt omnia plena malis .
 Solus in aduersis D E V S ancora sacra procellis ,
 Solus & ex omni liberat ille malo .
 Et si quis merito iustas in carcere pœnas
 Sustineat , rumpit vincula dura tamen .

CVIII.

Viribus humanis & mundi robore niti ,
 Principis auxilium querere , vana salus .
 Vera salus D O M I N I , cuius vis nota per orbem ,
 Virtutemq; polus prædicat , ille iuuat .
 Virtutes facimus D O M I N I per brachia , nostros
 Hostes inuicta conterit ille manu .

CIX.

Mosis , Dauidis , C H R I S T I , vatumq; sacrorum
 Supplicibus votis ora diserta docent .
 Contra induratos hostes quod vindicis iram ,
 Ulricem liceat sollicitare D E I .
 Vt maledicat eis , vt destruat , opprimat illos ,
 Et maneat D O M I N V S nostra I E H O V A salus ,

CX.

Sacra prophetarum referunt oracula C H R I S T U M ,
 Quod sit Dauidis filius atq; D E I .
 Cuius ab augusto procedant sceptra Sione ,
 Qui reparet populo regna beata suo .
 Perpetuusq; patri pro nobis vota sacerdos
 Ac holocausta suo tincta cruore ferat .

Non



CxI.

Non est in cælis nec maior in orbe voluptas,
 Quam miranda DEI noscere facta patris.
 Sidera, terra, fretum hæc monstrant, Pharijus tyrannus
 Fata: DEI leges, iustitiamq; docent.
 Promissam supera demittit ab aree salutem,
 In toto cætum colligit orbe sacrum.

CxII.

Qui DOMINVM timet & legem considerat eius.
 Quamuis dura premant fata, beatus erit.
 Lucem post tenebras, phœbum post nubila cernet,
 Vincet ouans animis, spe sua damna leuans.
 Ac inimicorum pœnas & fata videbit,
 Sed vanum fiet quod voluere mali.

CxIII.

Afflictos, inopes, humiles è puluere tollit,
 Altus in excelsa qui sedet arce DEVIS.
 In Daniele vides, Mose, Dauide, Iosepho,
 Ut vigeant solo regna regente DEO.
 Qui beat effectos numerosa prole parentes,
 Et donat sterili pignora multa toro.

CxIV.

Ante DEI faciem tellus commota, steterunt
 Æquoreæ, veluti culmina montis, aquæ.
 Erectusq; DEI populus pertransiit illas,
 Obruit hostiles vnda reuersa manus.
 In dulces fluuios fontes mutantur amari,
 Mollis & è duris rupibus vnda fluit.

CxV.

Vnicus Omnipotens DEVIS est qui cuncta creauit,
 A quo vera salus, non aliunde venit.
 Qui timet hunc, soloq; suam spem ponit in ipso,
 Vincet, & optatam lætus habebit opem.
 Ille cui benedicit erit benedictus in æuum,
 Infelix semper cui maledicit erit,

Cxvi.

Si D^EV^S afflictos nos liberat, eripit, audite.
Reddamus grato pectore vota D^EO.
Nam quicumq^b D^EO credit, verumq^b fateatur,
Cogitur abiectus viuere, dura pati.
Sed tamen ante D^EI vultus sunt fata piorum
In pretio, sanctis funera fœnus erunt.

Cxvii.

Omnis vult saluos fieri D^EV^S, eligit omnes
In C^HR^IS^TO, populis omnibus vna salus.
Nam cælum, terramq^b D^EI clementia replet,
Et finem bonitas nescit habere patris.
Sermo D^EI verus, promissa fidelia, leges
Firmæ, perpetuo tempore verba manent.

Cxviii.

Adiuuat æternus D^EV^S; an timeamus ab hoste?
Virtutem D^OM^IN^I dextera sancta facit.
Ætherea cornu demittit ab arce salutis,
Et lapis erigitur qui reprobatus erat.
Hæc est sancta dies D^OM^IN^I, lætemur in ipsa,
Ut nos optata prosperitate beat.

Cxix.

Observare D^EI leges, præcepta, statuta,
Qui studet ex toto corde beatus erit.
Erudiunt mandata D^EI, nec fallere possunt,
Et verbum tutas nos docet ire vias.
Dulcius haud illis mel, nec pretiosius aurum,
Iustitiam donant, lætitiamq^b pñs.

Cxx.

Lingua dolosa malum, quo non crudelius ullum,
Plus quam robusti iacta sagitta nocet.
Juniperos ut flamma vorat, grassatur ut ignis,
Sic ex falloquo nascitur ore malum.
Inter mendaces res est, habitare, molesta,
Si pacem loqueris, bella cruenta mouent.

Axxi.

CXXI.

Auxilium venit à D O M I N O , quā cuncta creavit, 18
 Non oculis somnum nocte dieq; capit.
Cynthia ne noctu noceat tibi , Cynthius astu,
 Grata suis alis illius vmbra tegit.
Introitumq; tuum reddit benedictio faustum,
 Exitus & felix, si benedicit, erit.

CXXII.

Aurea cunctarum pax iucundissima rerunt,
 Qui delectatur pace, beatus erit.
Pax facit imperium quoduis florere, domosq;
 Prosperitas habitat pax ubi sceptra gerit.
Vnanimes fratres concordia iungit & ornat,
 In melius vertens omnia pacis amor.

CXXIII.

Vt seruus D O M I N I , dominiq; pedissequa nutum
 Obseruat, cupimus sic placuisse D E O .
Vt nos falsiloquo defendat ab ore malorum,
 Qui nos sarcasmis, scommatiibusq; petunt.
In nos cum saui iaciunt sua tela tyranni,
 Tunc nos contemptos turba superba facit.

CXXIV.

Irruit vt torrens furor iraq; sua tyranni,
 Vt ferit horrisonum dira procella fretum.
Et tendit fallax vt rete volucribus auceps,
 Insidias hostis fraude, dolosq; struit.
Rumpitur extensis laqueus ferus, occidit hostis,
 Et redit à D O M I N O vera tuente salus.

CXXV.

Perpetuo durant & cuncta pericula vincunt,
 Quorum sunt vni dedita corda D E O .
Sed sua sceptra mali non longo tempore supra
 Sortem iustorum firma manere vident,
Vis diuina bonos & rectos corde iuuabit.
 Sed meritas penas impia turba dabit.

Cxxvi.

Liberat iniocuos ab iniquo carcere, mittit
Carceris autores ad stygis antra D E V S,
Flumina qui siccatur, qui dulcia reddit amara,
Si lacrum & semen, gaudia messis erunt.
Affligit Pharao, tellus Cananæa quietem
Reddit & Assyrius, commoda carcer habet.

Cxxvii.

Dante D E O cumulantur opes, ædesq; parantur,
Et non dante D E O, cura laborq; perit.
Omnis ab hoc manat benedictio fonte, salusq;
Hæc manus è cornu diuite fundit opes.
Fœcundasq; facit numerosa prole parentes,
Et socij donat pignora chara thori.

Cxxviii.

Omnes efficiet benedictio larga beatos,
Qui seruare D E I iussa ferenda student.
Vitis vt effundit viridanti palmite fructus:
Sic multa sobole fertilis vxor erit.
Ut videant natos & qui nasecentur ab illis,
Et dulci videant omnia pace regi

Cxxix.

Semper obesse mali, telis pugnare eruentis,
Et cætum pergunt exagitare sacrum.
Sed iustus D O M I N V S funes abscondit eorum,
Impius vt summa gramen in arce perit.
Oremus D O M I N V M rabidos vt conterat hostes,
Et pia non iubeant ora valere malos.

Cxxx.

Nemo potest coram D O M I N O se dicere iustum.
Ante D E I vultus nil nisi culpa sumus.
Ergo nihil melius quam se peccasse fateri,
Ac humili iustum voce rogare D E V M.
Consumens ignis D E V S est, & maximus ira,
Ora, maior erit gratia, vincet amor.

Non

CXXXI.

Non scrutetur homin̄ mysteria sacra, sed illis
Credat, captiuum sit rationis opus.
At super astra volant elata mente superbi.
Ac alcum sapiunt, querere magna student.
Sed casu grauiore ruunt, Non alta requirit,
Infima sed supera respicit arce D E V S.

CXXXII.

Vota D E O vouit Iessæo semine natus,
Ædificatum se pia templo D E O.
Et D E V S hinc rursus nouit quod filius eius
Perpetui teneat sceptra beatae throni.
Seruat vterq; fidem, pulcerrima templo struuntur,
Et iam Dauidis filius astra colit.

CXXXIII.

Grata D E O res est fratrum concordia constans,
Et dulces fructus nectaris instar habet.
Sicut Balsamei res est pretiosa liquoris,
Ut ros Eous qui sata manū rigat.
Hanc D O M I N I multis ornat benedictio donis,
Et spondet vitæ tempora longa D E V S.

CXXXIV.

Quos habeat templum ritus, vestesq; sacerdos,
Ornatusq; sacros, Biblia sacra docent.
Quod D E V S instituit, nemo contemnere debet,
In templis fiant omnia rite sacris.
Psallere consuetis horis & surgere noctu,
Addictos templis presbyterosq; decet.

CXXXV.

Laudetur D O M I N U S quæcunq; per astra, per orbem.
Vult fieri, dextra cunctipotente facit.
Fulgura cum pluuiâ facit & sua fulmina mittit,
Edidit in Pharijs signa tremenda plagi.
Testis erit tellus fusis Cananæa tyrannis.
Quatre D E V M, si vult Ille iuuare, potest.

D iii

Calop.

Cxxxvi.

Celos & terram mira bonitate creauit,
Affixisq; polo lumina mira D E V S.
Eduxit populos Erythræa per æqua tutos,
Cum veluti rupes erigerentur aquæ.
Omnes occidit Cananæa per arua tyrannos:
Certam, qui D O M I N O fudit, habebit opem.

Cxxxvii.

In cruce si varios positi tolerare dolores
Cogimur & nimium vincula dura pati:
Pergamus semper diuinæ dicere laudes,
Et querula iustum voce rogare D E V M.
Nam D E V S vltor erit nostros ut destruat hostes,
Felix vltrices cui dabit Ille manus.

Cxxxviii.

Nominis & verbi diuini sancta potestas,
Erigit electo regna bæata choro.
Vt sua sit certus verè peccata remitti,
Et pia cælesti vota placere patri.
Qui nos exaudit, qui nostros opprimit hostes,
Quo nos vexamur finiet omne malum.

Cxxxix.

Cum mirabiliter formauerit omnia membra
Humani generis, cum sit ubiq; D E V S.
Nunquid eum poterit res villa latere, sedentis
Vel via surgentis fit manifesta D E O.
Ne credant homines se Numen fallere posse,
Omne quod est usquam scitq; videtq; D E V S.

CXL.

Corde suo fraudes hostis meditatur iniquus,
Molitur toto bella cruenta die.
Plena venenatis est impia lingua sagittis,
Aspidis & diro virus ab ore fluit,
Sed D E V S hunc iusta per fulgura perdit in ira,
Et soueas Stygij coget adire canis,

V;

CXL.

Vt D E V S auxilium festinet ferre paratus,

Afflictus querula voce rogare solet.

Erigit ac miseros & eis solatia præstat,

Si laqueus capiat, quem posuere, malos.

Sed D E V S innocuos, vt vitent retia, seruat,

In fouea, quam quis foderit, ipse perit.

CXLII.

Sæpè doloriferis addit fortuna dolores,

Et quasi captiuæ retia tendit aui.

Nec satis est miseros affligere carcere duro,

Sed iuuat his etiam fraude nocere magis.

Votis & gemitu D E V S vt te liberet, insta,

Vt tecum laudet sancta caterua D E V M.

CXLIII.

Iustitiam venerare D E I, veniamq; precare;

Non proprijs meritis velle placere, iuuat.

Sic iram Domini, sic nostros vincimus hostes,

Et quod sollicita voce rogamus, adest.

Nam bona cuncta D E I solo de munere pendent,

Quem iuuat illius dextra, beatus erit.

CXLIV.

Fortunante D E O Rex & Respublica floret,

Qui genus humanum robur habere facit.

Sed tandem vanum perit os & dextera mendax,

Tactaq; fulminibus turba prophana ruit.

Efficiunt nec opes nec proles multa beatum,

Sed patris æterni iussa verenda sequi.

CXLV.

Posteritas referet miracula posteritati,

Maximus in toto quæ facit orbe D E V S.

Colligit oppressos, animalibus omnibus escam

Porrigit, exaudit, saluificatq; pios.

Judicio iusto iustos conseruat, iniquos

Perdit, vt has laudes prædicet omnis homo.

Vero

Vera salus vere D O M I N V M cognoscere verum,

Qui mare, qui terras fecit & astra poli.

Nam verus D E V S est, & I V R I S amator & A E Q V I .

I V S T I T I A M miseris, iudiciumq; facit,

Erigit elisos, viduas iuuat atq; pupillos,

Iniusti dextra vindice perdit iter.

CXLVII.

Et numerat stellas & dat sua nomina stellis,

Quod iacet extollit, deprimit alta D E V S .

Nubibus occultat cælum, rigat imbris agros,

Coruorum pullos nutrit & omne pecus.

Et glaciem, gelidasq; niues & frigora mittit,

Et docuit populum saera statuta suum

CXLVIII.

Sol & luna D E V M laudent, stellæq; micantes,

Cælorumq; duces, aligeriq; chori.

Et reges terræ, populi, iuuenesq; , senesq;

Pennigeræ volucres, syluicolæq; feræ.

Cuncta creauit enim, conseruat, alitq; , iuuatq;

Et sancto laudem nomine solus habet.

CXLIX.

Exaltat D E V S afflitos & honore coronat,

Lætitiamq; p̄ijs gloria vera parit.

Tandem victores hostilia vincula rumpunt,

Hostibus ac reddunt quas meruere vices.

A solo D O M I N O victoria vera paratur,

Impia qui perdit vindice castra manu.

CL.

In laudem D O M I N I psalteria, tympana, chordæ,

In cytharis resonent organa mixta tubis.

Et moueant sancti resonantia cymbala cœtus,

Et referant laudes omnia templa D E I .

Illiū ut toti sit nota potentia mundo,

Et virtus qaz non possit habere parem.

F I N I S .

NC



Konf






Qh. 28, 8.

ARGVM
PROPH
SANC

INCL
DIEI, E
ENOR ΣΤΟΜΑ
simul desiderat
SAXONIC
sua bor
D.

ILLV
TENT
PRINCIP
NO II. D
Sacri Romani
Landgrauio T
Magdeburger
Patrix patri
studior

M. David
JX. C



RE
IT
DEI



LITII
IS EK
SIDERIO
RATVS
pro ingenti
velit

PO
IEROL,
CHRISTIA-
AXONIÆ,
himarschallo,
Burggrauio
TI Nutritio,
literatura
o suo

No. Cefo
G. I.